

tur *Pentateuchus*, *Josue*, *Judicum*, *Ruth*, *Hester*, *Tobie*, *Judith*, IV. *Regum*, *Prophetæ* min. *Job*, cujus maxima pars trajecta post *Danielem*, *Psalterium*, *Esdras*, *Machabæi*, *Prophetæ* maj. *Epistolæ Canonicae* et *Paulinae*. Nihil igitur de *Paralipomenis* et *Libris Salomonis*, nihil de *Evangeliiis* et *Apocalypsi*. In marginibus citantur *Capita Libror.* et varia superadduntur. Atque ejusmodi adminiculis fovendum erat studi-

um Verbi Dei eo tempore, quo Biblia integra manu descripta facile privati hominis loculos exhauriebant. Itaque, qui sacrae lectionis neglectum majoribus nostris exprobrabant, parum ultra nasum suum prospexere. Ego vero lubenter ἐπιχειρῶμα repeto, quod *Raph. Zovenzonius Tergestinus* noster *Plinio* majori a *Job. de Spira Venetiis* 1469. primum typis excuso accinuit:

*Fessa manus quondam, moneo, calamusque quiescat;  
Namque labor studio cessit, et ingenio.*

## CCXLII.

U. 51

Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 286. f. non una manu per duas columnas nitide exaratus, coloribusque distinctus, et ducali olim Collegio donatus a M. *Ruperto Weissenburger* ex *Pruck* Theol. Prof. et D. *Stephani* Canonico, qui a. 1469. Academiae Rector praefuit, complectitur sequentia: I. *Incipiunt capitula super distinctiones exemplorum novi et veteris testamenti abbreviata et educta ad diuersas materias secundum ordinem alphabeti per fratrem bindum (Guerra) de senis ordinis fratrum heremitarum sancti Augustini*. Censentur *Capitula CXXXVIII.* quorum primum *de Abstinencia et Jejunio*, postremum *de Zelo indiscreto*. Plures fuisse, qui ejusmodi operam Verbi Dei Praedicatoribus potissimum navarunt, notum est Eruditis, neque ingratum fuerit Lectoribus, si hic Cui-

que *Suum* tributum videant. *Nicolaus de Hanapis* O. P. ✠ 1291. compilavit *Exempla sacrae Scripturae* ordine quodam doctrinae. Horum initium: *Creatio rerum fuit ita mirabilis &c.* Edita sunt sub *Bonaventurae* nomine et titulo *Bibliorum Pauperum Venetiis* jam 1477. 4. Falsus tamen est *Quetifus* in *Scriptt. Ord. Praed. T. I.* p. 426. asserendo simpliciter, *Hannapi* ordinem conversum fuisse in alphabeticum. Vide *Bonaventurae Opp. omn. Lugd. 1668. T. VII.* p. 436. f. *Thomas de Hibernia* itidem *Ord. Praed. ✠.* post annum 1316. concinnaverat *Flores Doctorum*, quibus additi sunt in posterioribus Editionibus etiam *Flores Bibliorum* ordine alphabetico, hoc initio: *Abstinencia. Vir sive Mulier cum fecerint votum &c.* Atque hos *Flores* negat *Quetifus* T. I. p. 745. esse *Hibernici*, et reipsa sine ejus nomine mihi adjacent impressi *Antverp. 1555. 8.*

His successit *Bindus* five *Bydo* noster *Distinctionibus* suis *Exemplorum*, ✠. 1390. et demum illi subpar et ejusdem Ord. *Antonius de Rampegolis* seu *Rampelogis Januensis* suis *Bibliorum Figuris*, quarum initium: *De Abstinentia. Castigo corpus meum &c.* Jam, ut ad Nostrum redeamus, illi quoque lis, ut *Hanapo*, mota fuit; extat enim Opus ejus impressum *Venetiis* 1556. 16. titulo *Virtutum, Vitiorumque Exempla ex V. et N. T.* tributumque *Vgoni Card.* contra fidem *Codicum mss.* quos enumerat *Offingerus* in *Bibl. Augustin.* p. 135. in quorum tamen uno alteroque *Librarii* ignoto *Bindi*, Sancti in *Hetruria* culti, nomine offensi pro eo *Bernardum*, aut *Bernardinum* scripsere. Quin et illud notandum, in *Editione* mox dicta *Prologum* ab iisdem verbis incipere, a quibus incipit *Hanapi* *Prologus*: *Tanta pollet excellentia praedicationis officium &c.* verum dein in omnia alia abire. Non agnoscit *Codex* noster hunc *Prologum*, sed continuo post supra memoratum *Capp. Elenchum* incipit: *Abstinentia est meriti augmentatiua, Sapientie aquisitiva, Religiositatis ostensua, Carnis refrenatiua, Victorie imperatiua &c.* et in fine *Indicem* alphabeticum *Rerum* subnexum habet.

II. fol. 96. *Incipiunt concordantie biblie distincte per quinque libros.* Non igitur notae illae alphabeticae, sed *Effata* biblica methodo non satis expedita ad certa *Capita* moralia in usum *Homiletarum* revocata. Adscribam ex *Indi-*

ce praevio cujusvis *Libri* materiam, quae rursus in plures *Partes* subdividitur. Itaque I. agit de *hijs* que pertinent ad *depravacionem primi hominis.* II. de *hijs* que pertinent ad *reuertentem ad Deum.* III. de *vicijs* que pertinent ad *bene pugnantem et succumbentem bello spirituali.* IV. de *hijs* que pertinent ad *perfectum virum.* V. de *diuersis personis.* Ratio *Operis* haec est, ut citato *Libro* et *Capite* biblico prima *Textus* verba adscribantur. *Fol.* 174. p. 2. accedunt *Themata* praedicabilia in *aduentu domini*, et sic deinceps per anni *circulum* pro *Festis Domini* et *SS.* et ad *diversa Auditorum genera*, quos inter *Claustales, Moniales, Viventes solitarie, Peregrini, Leprosi.*

III. fol. 183. *Incipit tabula auctoritatum et sententiarum Biblie postitarum in libris decretorum et decretalium quottatarum secundum ordinem alphabeti Johannis kaldrini Decretorum Doctoris.* Initium: *Seriem huius tabule continentis &c.* Prout *Vol. I. P. 1. Cod. CLXXX.* indicatum. In praesenti *Exemplo* ad calcem habetur: *Explicit tabula &c. Anno Domini M° CC. CC<sup>mo</sup> Quinquagesimo Quinto cetera laus Deo pax viuis requies eterna defunctis Deo gratias.*

IV. fol. 267. *Index* realis, praecipue *Nominum* propriorum, in *universa Biblia* hoc initio et fine: *Aaron a quibus progenitoribus nascitur. Exo. VI. Zebedei filij vocantur a domino.* Nota tamen *duplicem* esse hunc *Indicem*, alium V. alium N. T.

Ad

Ad compingendum *Codicem* utrinque adhibita est Membrana duabus columnis exhibens Fragmenta cujusdam Commentarii Rabbinici in *Psalms*, ut videtur, caractere vetusto hebr. hispano absque punctis exarata.

## CCXLIII.

R. 2002 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 168. f. per duas columnas exaratus rubricis enotatus, et quondam, ut pluribus locis, maxime verò sub Indicis calcem, legitur, *Carthusiensium orti sancte marie in praga sub monte petrino. donatus per Meynbardum de Nouadomo. Indigni domini et plebani in Telcz*, quem ne Gubernatorem *Bobemiae* a. 1449. e vivis sublatum pronunciem, τὸ *plebani* retinet, est notus, et jam *Vol. I.* a me relatus *Mammotretus*, five *Expositio Vocum* difficultiorum, quae cum in Bibliis, tum in ecclesiastico per annum Officio occurrunt, rudioribus Clericis dicata ab *Joh. Marchesino*, quem *Editio Colon. per Joh. Koelhof* 1479. 4. in *Murachisum* deformat, O. M. Primus eam prelo subjecit *Petr. Schäffer Moguntiae* 1470. in aliumque rededit ordinem, ut ipse in *Praef. ad calcem* adjecta narrat, et *Collatio* cum praesenti Codice instituta confirmat. Interim Codici nihil deest, quin uber sub finem rerum Index accessit. Prologi initium est: *Im-*

*patiens proprie imperitiae ac ruditati compaciens pauperum clericorum &c.* Si quid in futurum ejusmodi Operis necessitatem adduxerit, id non tam paupertas, quam Linguae latinae neglectio fuerit. Sub Prologi finem ait Autor, *Expositionem suam morem Paedagogi gerere, qui gressus dirigit Parvulorum*, atque inde *Mammotretum* adpellari posse; quod, quomodo cohaereat, non dispicio.

## CCXLIV.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3243 XIV. Folior. 160. 8. per duas columnas non una manu, minute sed nitide descriptus, rubricis enotatus, et olim *Bibliothecae Civicae Vindobon.* sequentia continet: I. ut ad oram inferam *fol. 1.* legitur: *Notabilia super omnes libros byblie*, id est *Expositio Vocum* minus obviarum, qualem ampliore dedit *Joh. Marchesinus* O. M. in suo *Mammotretum*, ut non semel utroque *Vol.* indicavi. Praesentem porro ex illo carptam fuisse, alia manus ad Titulum mox relatum adnotavit. Initium est: *Prologus est caput compositionis uel sequentis operis praefacio. et dicta praefacio quasi prolocutio &c.* Pertinent haec ad *Hieronymi in Pentateuchum Prologos*; nam et hi delibantur. Extrema *Apocalypseos* sunt: *iuste fornicator supplicijs afficitur. Explicit liber iste. deo gratias.*

*Sit bonus oro status vester, finisque beatus.*